



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

In festo SS. Innocentium: De SS. Innocentibus martyrij gloria coronatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

breterur inter principes Apostolorum,
 Aquila Euangelistarum, vertex Theo-
 logorum, primicerius Virginum, dile-
 ctissimus Christi discipulorū: In altero
 excellenti sublimatus gloria, & triplici,
 Virginum, Martyrum, Doctorum au-
 reolâ. Congratulatio, gratiarum actio,
 amor, spes similis gloriæ.

In festo Sanctorum Innocen-
 tum.

IV.

I. **I**Nfantes quos filius Dei ab æterno
 in Martyrum primitias, Virginum-
 que primæuos flores ex gratuito infini-
 tæ dilectionis affectu elegerat, nunc
 factus infans, & in cunis vagiens, è cunis
 innocentes miro quidem & occulto,
 sed pio & misericordi consilio ad se tra-
 xit, permittendo eos sæuitia Herodis
 in odium sui, vita in vitæ primordio
 priuari, vt sic moriendo ipsum confiten-
 tes, martyrij aureolâ mererentur coro-
 nari, qui si diutius vixissent, fortasè
 linguis suis cum reliquis ludæis eūdem
 crucifixissent. Quam mirabilis Deus in
 omnibus operibus suis, maximè in ope-
 ribus tantæ miserationis, tam gratuita
 & gratiosæ electionis! Quam reue-
 renter suspicienda, quam gratanter
 accē-

accē-

acceptanda, quàm ardentè redamanda tam incomprehensa sapientia, misericordia, bonitas? Congratulatio, gratiarum actio, amor.

II. Ex tam immani ambitiosi Herodis à dæmonibus instigati mora contra Christum persecutione, & crudeli infantium trucidatione, quot & quanta Diuina bonitas elicit bona? Videlicet sanctificationem & glorificationem tot innocentum Martyrum, quorum salus aliàs periclitatura fuisset; diuulgationem fame, de gloriosa Christi veri Messisæ & regis Iudæorum tot oraculis promissi natiuitate, quæ ex tam inaudito & tyrannico Herodis facinore, per totum Romanum imperium, orbemque vniuersum clarius innotuit: & tam largam benedictionem à Christo impertitam Ægypto, vt quæ omnium superstitionum fuerat receptaculum, fieret postmodum veræ religionis & pietatis seminarium, ex qua tanta prodiret multitudo religiosorum, tantus numerus sanctorum martyrum & confessorum.

Rom. 8.

O quàm verè diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs, qui secundum propositum vocati sunt Sancti! Quàm pio ergò, grato, promptoque animo omnes persecutiones, calumniæ, iniuriæ à quocun-

cunq̄ue illatæ de manu Dei electis omnia mala in bonam conuertentis sunt acceptandæ? Admiratio, resignatio.

III. Quantus fuerit dolor, clamor, eiulatus, quàm irremediabiles lacrymæ matrum, quarum corda eodem, quo filiorum corpuscula, crudeli ferro transigebantur? quantò sanctiores B. Virg. compassionis lacrymæ, ex audito tam lamentabili spectaculo obortæ? quantò demum diuiniore lacrymulæ Christi infantis, horum omnium lacrymulas internosque dolores, omnes singulorum istorum infantium, imò omnium futurorum Martyrum persecutiones, cruciatus, mortes clarè inuentis, ex intimo compassionis affectu profusæ? Quàm heroica simul resignatio in sanctissimum beneplacitum æterni Patris hæc omnia ad maiorem suam Electorumque gloriam, ex inscrutabili diuinæ sapientiæ suæ abyssu permittentis? Compassio, admiratio diuinorum iudiciorum, resignatio.

De exaltatione Angelorum in Natiuitate Domini, eiusdemque adoratione.

I. **E**Xpende, quanta exultatione &
E ad-